



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. VIII. An ad res naturales cognoscendas requirarur gratia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

II. Adamus peccando, omnem cogitationem congruam posteris non amisit.

Et per hæc patet ad ultimum argumentum scitione tertiâ, sine, pro contrariâ sententiâ positum: licet enim nullum bonum opus, ne morale quidem seu purè naturale fieri possit sine cogitatione congruâ, cum ipso factio quod opus ad illam sequatur, fit congrua, seu efficax, negatur tamen Adamum per peccatum omnem cogitationem congruam ad opera naturalia posteris esse demeritum, hæc namque, ut jam ostendimus, sequitur connaturaliter ad beneficium creationis naturæ rationalis & liberæ, ad aliqua saltem illius opera. Quamvis enim huic homini in particulari hic & nunc non debeat ejusmodi cogitatio, difficillimum tamen est, ut ex totâ hominum collectione, uni alicui interdum non contingat, imò & unicuique, ut diximus, ad opera saltem aliqua, quæ sunt juxta inclinationem naturæ rationalis, qualia sunt, ut filius honoret parentem, parens det consilium, aut reprehendat filium, ut quis solvat debitum creditori, det eleemosynam pauperi, & similia.

Cogitatio congrua in quibusdam rebus est homini maxime naturalis.

III. Dicendum, ad opus bonum morale non requiritur gratiam per Christum.

Verior itaque est hæc secunda sententia: unde & sancti Patres frequenter distinguunt inter opera illa, quæ ex speciali Dei auxilio, seu gratiâ procedunt, & conducunt ad salutem æternam, & illa quæ honesta quidem sunt, istud tamen non habent: sic præter allatos supra, S. Leo Papa Sermone 17. de Quadragesimâ, de operibus hujusmodi misericordiarum ait: Non sunt fraudanda sua laude, si propter naturæ communicationem fiant, sed quia non ex Fidei fonte procedunt, ad præmia æterna non perveniunt: ideo alia est conditio operum celestium, alia terrestrium. S. item Prosper libro contra Collatorem cap. 36. Etiam post peccatum, inquit, habet homo usum rationis, per quam possit facere aliqua opera, quæ præsentem vitam honestare possunt, æternam autem vitam conferre non possunt. Clarius de hoc ipsâ re S. Gregorius homilia 26. in Evangelia: Sunt, inquit, nonnulli, qui proximum diligunt propter affectum cognationis & carnis, quibus in hoc sacra eloquia non contradicunt, sed aliud est quod sponte impenditur natura, aliud quod ex charitate debetur obedientiæ, &c. Tandem hoc modo mentem suam & aliorum Patrum explicat S. Augustinus Epist. 95. ubi postquam cum iis admisisset dona, etiam naturalia posse appellari gratiam, Alia tamen, inquit, est gratia, quâ predestinati vocantur, justificantur, glorificantur, ut dicere possumus, si Deus pro nobis, quis contra nos. Deinde addunt: illam verò gratiam quâ creati sumus homines, etiam sic appellandam non immeritò intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ulla legitimus, Prophetis, Evangelicis, Apostolicisque literis legitimus. Postea in eadem Epistola declarant, gratiæ nomine se non intelligere nisi eam qua Christiani, & Filii Dei sumus.

Hoc verum sanctorum Patrum testimonium probatur.

Suum, & aliorum Patrum hoc de re mentem declarat S. Augustinus.

IV. Multo minus ad opera bona moralia exercenda requiruntur gratia habitualis.

Hinc à fortiori sequitur, ad opus bonum morale exercendum non requiri gratiam habitualem, sed homines etiam in peccato mortali existentes posse hujusmodi actus bonos elicere, nec omnium operationes esse peccata, ut volunt hæretici quidam, ad quorum sententiam accessit Michaël Baius, cujus 53. propositio damnata in Bullâ à Pio V. & Gregorio XIII. contra ipsum edita, hæc erat: Omne quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est.

V. Certum est omnia opera infidelium non esse peccata.

Sequitur secundò, omnia etiam infidelium opera non esse peccata: hoc etiam constat ex Bullâ proximè citatâ, in qua 26. propositio Baii damnata est, quæ sic habet, Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. propositio item 28. Liberum arbitrium sine gratiâ Dei & adjutorio, non nisi ad peccandum valet. Quod si

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

S. Augustinus hoc interdum asserere videatur, benignè explicandus est, uno scilicet ex modis supra facti. 2. assignatis, ne dicatur tantum Doctorem in ejusmodi falsitatem incidisse, imò & sibi esse contrarium, cum aliquando expressè doceat, opera bona & honesta subinde in infidelibus reperiri, ut loco citato dictum est.

SECTIO OCTAVA.

An ad res naturales cognoscendas requiratur gratia.

PER gratiam hoc loco, speciale aliquod Dei auxilium intelligimus, naturæ indebitum, peculiarem scilicet mentis illuminationem, infusivam specierum, aut quid simile, per quod Deus singulari quadam ratione cum hominibus ad veritatis alicujus notitiam concurrat. Quærimus itaque an hujusmodi aliquo adjutorio indigeat humanus intellectus ad veritates naturales cognoscendas, vel utrum cum solo concursu Dei generali ad eam possit scientiam pertingere.

I. Quid hic nomine gratiæ intelligatur.

In primis verò non est hic sermo de futuris contingentibus: hæc enim, esto quoad entitatem quid merè naturale sint, sine peculiari tamen Dei revelatione innotescere nulli possunt. Idem est de secretis cordium, quæ nisi ex consensu habentis vel particulari Dei permissione nequeunt à quocumque cognosci. Tantundem dici debet de quacumque veritate Theologicâ, utpote quæ ab altero principio Fidei semper pender, ac proinde nisi per revelationem aliquam cognosci non potest. Sermo ergo tantum est de veritatibus purè naturalibus, quæque vel studio & industriâ propriâ, vel aliorum instructione sunt addiscenda.

II. Non est sermo de futuris contingentibus, nec secretis cordium.

Prima sententia affirmat, non posse hominem, præsertim in naturâ lapsâ, ullam omnino veritatem, quantumvis naturalem sine gratiâ consequi: hoc docere videntur Gregorius & Capreolus. Fundamentum præcipuum est dictum illud Apostoli I. ad Corinth. 4. v. 7. Quid habes quod non accepisti? autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti? Hoc tamen fundamentum nullum est; non enim est dubium, quin quicquid boni habeamus, à Deo habeamus, illiusque donum sit, non tamen omnia ab eo sunt ut ab auctore gratiæ, sed multa ut ab auctore naturæ; & ex his sunt cognitiones veritatum quarundam naturalium, ad quas nil opus ut Deus peculiari, naturæque indebito auxilio concurrat, sed ipso facto quod homini dederit intellectum, cæteraque ad naturalem ejus usum necessaria, poterit homo per se cum solo concursu generali ad rerum nonnullarum notitiam pervenire: ut jam ostendam.

III. Negant aliqui posse veritates illas naturales sine gratiâ cognosci.

Quidquid boni habet homo est à Deo.

Dicendum itaque cum sancto Thoma hic q. 109. art. 1. Bellarmino de gratiâ & libero arbitrio lib. 4. cap. 2. Suariorum lib. 1. & 2. Tannero hic, Disp. 6. q. 3. d. 1. num. 5. & aliis, quamvis nec omnes quis veritates per se, & sine peculiari & extraordinario Dei concursu cognoscere possit, imò nec ad multarum in particulari scientiarum naturalium notitiam plenè pertingere, posse cum tamen multas veritates naturales suis viribus, & sine speciali auxilio scire. Multò minus ad has cognoscendas necessaria est gratia per Christum.

IV. Potest homo ad multarum veritatum naturalium notitiam suis viribus pertingere.

V. Rationes variae cur non possit homo veritates omnes naturales suis viribus addiscere.

Prima Conclusionis pars facile ostenditur, si vel intellectus humani imbecillitatem, vel breviterem vitam, vel varia quæ perpetuò occurrunt impedimenta, ac totam hominis conditionem, rerumque

varietatem, numerum, ac difficultatem confideremus: unde nec ullus haecenus homo inventus est, qui vel ad rerum omnium naturalium, vel unius etiam alicujus scientiae integræ notitiam, & non nisi variis admixtis erroribus pervenerit: quod argumento est, humanâ arte, viribus & industria acquiri hujusmodi cognitionem non posse. Confirmatur: nam inter Philosophos tanquam axioma receptum erat, de singularibus scientiam non esse. Per hæc etiam patet secunda pars conclusionis.

VI. Hoc non de naturâ tantum lapsâ isthæc intelligenda sunt, sed etiam de purâ, magnâ saltem ex parte, utpote in quâ & morbi fuissent & corporis ac mentis imbecillitas, occupationesque variæ, & in illâ verum etiam fuisset, Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

VII. Multa veritates naturales humani intellectus capere non superat.

Non docet S. Thomas ad singulas veritates naturales requiri speciale auxilium.

VIII. Clarius multo est ad has veritates cognoscendas non esse necessarium gratiam per Christum.

IX. Quod homini infirmum sit vulnus ignorantia, non arguit nihil eum naturaliter cognoscere.

X. Veritates etiam practicae de objectis honestis possunt naturaliter cognosci.

Tertia verò pars assertionis probatur: multæ siquidem veritates naturales sigillatim sumptæ non sunt intellectus humani viribus improporionatæ: unde S. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. circa finem ait, non solum bonum ingenium, sed etiam honestas & utiles disciplinas sæpè ante primam gratiam ab hominibus comparari. Nec contrarius est S. Thomas loco citato, dum ad singulas veritates cognoscendas ait necessarium esse auxilium Dei moventis; per hoc enim auxilium solummodo intelligit S. Doctor concursum generalem, ut ait Cajetanus ibi, & interpretes plerumque affirmant, atque ex ejus discursu aperte constat, de illo siquidem auxilio loquitur, quo causa secundæ indigent ex dependentiâ quam habent à primâ, & ex ordine quem, ut entia per participationem sunt, dicunt ad ens increatum, à quo, ut in esse, ita & in operari essentialiter dependent.

Quarta denique pars conclusionis, quod scilicet ad veritates quasdam naturales addiscendas, non sit necessaria gratia per Christum probatur: Christus enim ut rectè Vasquez 1. 2. d. 188. cap. 2. num. 8. non est mortuus ut aliquis esset mathematicus, aut musicus. Deinde multæ sunt veritates naturales, quæ non conducunt ad salutem: quid enim ad vitam æternam confert scire quot grana hordeacea, aut arenulæ terram inter & spheram lunæ interjici possint, quoties sol in magnitudine superet formicam, quanto tempore lapis molaris à cælo in terram decideret, aut telluro ad cælum ascenderet, & id genus alia, in quibus sudant mathematici, ac infinitis se fatigant calculationibus.

Dices: homini per peccatum inflatum est vulnus ignorantia, ut post S. Augustinum lib. 1. retract. cap. 9. & lib. 22. de civitate Dei cap. 22. & Bedam Lucæ 10. affirmat S. Thomas hic, q. 85. art. 3. ergo ex naturæ imbecillitate impar est ad veritates quascumque, etiam naturales cognoscendas. Negatur tamen consequentia; vulnus namque ignorantia in ordine tantum ad veritates supernaturales contractum est, non in ordine ad naturales, cum naturales nostræ vires nec ad operandum, nec cognoscendum per peccatum primi parentis quidquam sint imminuta, sed eadem jam planè sunt, quæ fuissent in purâ naturâ, ut ostendi Disp. præcedente, sect. secundâ.

Hæc quæ diximus, non de veritatibus tantum speculativarum cognitione intelligenda sunt, sed etiam practicarum: unde cognitiones honestæ de objectis bonis naturalibus possunt ut plurimum naturâ viribus, & sine gratiâ, seu extraor-

dinario Dei adjutorio haberi, eodem modo quo supra diximus de veritatibus speculativis. Hoc sufficienter probatur ex Divo Paulo cap. 2. ad Romanos dicente, gentes naturaliter ea quæ legis sunt facere; ergo ea cognoscunt, habentque conscientiam, seu dictamen practicum hæc esse facienda. Et sanè ipsam naturæ lumen dicitur non esse hominem innocentem occidendum, alienum non esse auferendum, honorandos esse parentes, & similia, ad quæ proinde addiscenda, non est opus speciali Dei concursu. Quando ergo S. Paulus 2. ad Corinthios 3. vers. 5. ait, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, &c. loquitur de cogitatione sanctâ, seu prout oportet ad salutem.

Objicies Canonem quartum Concilii Mileviani secundi, ubi dicitur gratiam Dei per Christum nos adjuvare, ut per ipsam sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: Cum sit, inquit, utrumque donum Dei & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus. Respondetur loqui hoc Concilium de cognitione supernaturali, quæ ad opera supernaturalia justitiæ exercenda requiritur tanquam illi proportionata: fancitus est enim hic canon, ut constat, contra Pelagianos, qui hæc negabant, solâque opera naturalia tam intellectus quàm voluntatis, ad salutem consequendam sufficere affirmabant.

Urgebis: Concilium hoc loco requirit gratiam ad scientiam illam, quæ inflat, atque hanc esse donum Dei; ergo loquitur de scientiâ naturali ac veritatum naturalium, scientia namque supernaturalis non inflat, sed ædificat potius, cum ad virtutis exercitationem requiritur, & salutem consequendam. Respondetur scientiam supernaturalem posse, non directè & formaliter, sed occasionaliter inflare, multi siquidem ex ipsis etiam donis supernaturalibus occasione capiunt superbiendi, seque inde extollendi, unde submittere debebant, ut Lucifero contigit: scientia ergo est donum Dei, elatio inde secuta vitium nostrum

SECTIO NONA.

Quæ gratia requiratur ad assensum naturalem articulis Fidei supernaturalibus præbendum.

OBJECTUM supernaturale est duplex, quoad substantiam, & quoad modum: De hoc secundo, cum in entitate sit quid naturale, ut visus cæco restitutus, & similia, minor est difficultas; sic demones unionem inter animam & corpus cognoscebant eorum, qui à Christo ad vitam fuerunt resuscitati, & alia hujusmodi. Sermo itaque est solummodo de objectis supernaturalibus quoad substantiam, quale est mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. & de his quarimus, utrum assensu merè naturali, & sine auxilio gratia cognosci aliquo modo possint.

Existimo cum Bellarmino lib. 6. de Gratiâ, cap. 10. ubi alios citat, Molina in Concordiâ, d. 7. Cajetano & aliis, homines sine omni aliâ gratiâ præterquam legis & doctrinæ, seu auditâ externâ Evangelii prædicatione assequi posse notitiam aliquam mysteriorum supernaturalium, & assensum naturalem præbere articulis prædicatis. Probatur: Judæi quippe, & modo hæretici credunt multos ex articulis nostræ Fidei: Judæi siquidem ex majorum

Multa veritates practicae ipsa natura lumine innoscunt.

XI. Quo sensu Concilium Milevianum requirit gratiam ad cognitionem veritatum practicarum.

XII. Dona supernaturalia merendum sunt occasionaliter.

I. Objectum supernaturale quoad substantiam, & quoad modum.

II. Cum solâ gratiâ legis & doctrinæ possunt aliqua mysteria supernaturalia esse cognosci.